5

# ORATIO
# FVLVII FVLVII
# I. C. ROMANI
## HABITA

*AD ILLVSTRISS. ET REVEREND.*
*D. D. Paulum S. R. E. Presbyter Card. Sfondra-*
*tum Die XXV. Ianuarij M. D. XCI. quo*
*adeptus fuit possessionem Tituli Ec-*
*clesiæ Archipresbyteralis S. Cæ*
*ciliæ Regionis Transtyb.*





R O M AE,
*Ex Typographia Vincentij Accolti, in Burgo.*
*M. D. L X X X X I.*

## AD PAVLVM SFONDRATVM S. R. E. CARD. AMPLISS.

*Quo die possessionem Tit. S. Caeciliae accepit.*

IVLIVS ROSCIVS HORTINVS

*Ingredere hic Titulus patrui tibi redditur Heros*
*SFONDRATE, immensi qui regit Orbis onus.*
*Illius Augusti Reges gratantur honori,*
*Et plausu exultans vndique Roma fauet.*
*Viderit hic postquam felices Nestoris annos*
*Ad sua pro titulo sceptra verenda vocet.*

# ORATIO

# FVLVII FVLVII I.C. ROMANI HABITA.

*AD ILLVSTRISS. ET REVEREND. D. D. Paulum S. R. E. Presbyter Card. Sfondratum die XXV. Ianuarij M. D. XCI. quo adæptus fuit possessionem Tituli Ecclesiæ Archipresbyteralis S. Cæciliæ Regionis Transtyb.*

SI fieri natura posset, vt ad res inanimas, cum honore afficiuntur, sensus accederet, ipsæq. perciperent lætitiæ voluptatem; vetustissimum hoc & nobilissimum Templum, quod ingressus es hodierna die Cardininalis Illustrissime, occurrisset ipsum tibi, vt gratularetur, videlicet & gratias ageret Amplitudini tuæ. Neq. id immerito. Et si enim antea multis ac magnis affectum est ornamentis, hodiernũ tamen eo iucundius esse intelligit, quo recentius est. vt ad dulcem præteritorum memoriã præsentis huius quo superiora augeantur veluti cumulus accessisse videatur. Est quidem ipsum siue tempus illud cogitatione comprehendamus, quo DEO immortali addictum & consecratum est antiquissimum; siue eorum, qui addixerunt consecraruntq. authoritatem & santimoniam augustissimum,

ſimum,ſiue diuinorum theſaurorum, ideſt Sanctarum reliquiarum,quas ſinu gremioq. complectitur, opes ac dignitatem opulentiſſimam, ſiue deniq. ſacrorum antiſtitum, quorum ſtudio ac vocabulo inſignitum eſt pietatē religioſiſſimum; ſed hæc omnia in optatiſſimo aduentu tuo noua quaſi luce conſperſa lætiora eſſe, & illuſtriora conſpici videntur,eo prorſus modo,quo ſol ſi in plenam gemmarum domum radios intulerit non nouum quidē ſplendorem affert illis, quem proprium habent, ſed efficit,vt appareat. Mille tercentum & ſexaginta anni,atq. eo amplius effluxere,ex quo in hoc Templo, quod ab Vrbano primo Pontifice Sanctiſſimo constructum eſt verus ac iuſtus ſalutis noſtræ auctori cultus habitus eſt. Hic Cæcilia è nobiliſſima Romanorum ſtirpe nobilitatē generis fuſo pro CHRISTO ſanguine fecit illuſtriorem; Hic pręter eximia Sanctorum pignora quę ex vna domo fuere Cæciliæ, Valeriani, Tiburtij, Maximi, & ſummorum deinde Pont. Vrbani, & Lucij, nongentorum etiam Martyrū corpora requieſcunt;Quæ cum diù latuiſſent demū in Prætextati Cœmeterio ad viam Appiam, vbi iam cōdita fuerant non ſine diuino inſtinctu reperta Paſchalis primi auctoritate viri non minus ſanctitate & innocentia,quàm Pontificia dignitate Maximi in hunc ſanctiſſimum locum, hoc eſt in priſtinam Cæciliæ ædem, ab eo primum, in hanc, quam videmus, formam, auctam, & reſtitutam religioſiſſime tranſlata ſunt. Præfuere autem huic Templo viri ſemper tum nominis celebritate ac morum integritate, tum fidei conſtantia,ac religione præſtantiſſimi,e quibus quantū conſequi poſſumus replicatione ſuperiorum temporum ſeptem ad illud faſtigiū euecti ſunt, ſupra quod in terris aſcendi non poteſt; vt vel ex hoc intelligi facile poſſit, quam DEO gratum acceptumq. fuerit obſequium eorum,qui cum huic Templo præeſſent in Sanctiſſimæ huius Virginis aliorumq.

quos

quos commemoraui Sanctorum Martyrum cultu & veneratione plurimum curæ ſtudiiq. impenderunt, quod ij tanquam parte bene adminiſtrata breui ad totius Eccleſiæ regimen virtuti eorum fideiq. concreditum, eiuſdem Virginis vt credendum eſt, & Martyrum interceſſione aſſumpti ſunt; vt iis potiſſimum conuenire videatur illud Euangelicum, Euge ſerue bone, & fidelis quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam, hoc eſt ſupra totius Orbis Imperium, quo tandem perfunctus intra in gaudium Domini tui. Teſtis eſt huius rei Bonifacius ſecundus, Stephanus tertius, Victor tertius, & quartus Martinus item quartus, Innocentius Octauus, ac poſtremum Gregorius quartuſdecimus patruus tuus, is, in quo Pont. renunciando manifeſta vis diuini ſpiritus apparuit, cùm nō coactis ſuffragiis, aut emēdicatis, ſed oblatis ſpōte ita celeriter impoſitus eſt orbis terræ gubernationi, vt DEI voluntatem mortales agnouerint ex ſubita ſuffragantiū conſpiratione; Et alia quidem omnia cogitabat ipſe, qui totum ſe dederat contemplationi rerum diuinarum, à quibus abſtrahi ſe æquo animo pati non poſſet; ſed publica vtilitas fuit priuatæ voluptati anteponenda vt ſi hoc dicere liceat ſpecies quadam Martyrij, quam pro fratrum ſalute cupiebat Paulus in eo expreſſa eſſe videatur, ſed aderit ipſi quoq. vt olim Cæciliæ cæleſtis Angelus, qui facem eius menti præferet in tantis tenebris Chriſtianæ Reipublicæ, eumq. inuictum inuiolatumq. ſeruabit. Nec minimum oneris tuo leuabitur auxilio Card. Illuſtriſſime qui aderis patruo & conſiliorum conſcius, & ſocius laborum; neq. enim tibi delata eſt iſta dignitas tantū propter neceſſitudinē generis; ſed multo magis ꝓpter magnitudinem eius, qua ætatem ſemper ſuperaſti præſtantiamq. virtutis. Et certe nemo eſt, qui in te, non admiretur cum virili excelſitate animi prudentiam ſenilem. Ad iſta tua ornamenta accedit titulus Cæciliani hu

ius

ius Templi, nec deerit ad res, quas moliris, & molieris in poſterum in Orbe Terrarum illuſtre præſidium a ſuffragio Sanctorum, quorum reliquiæ hic depoſitæ ſupremū diem expectant. Quin illæ quoq. Virgines DEO Sacræ, quarum præcationibus diurnis nocturnisq. hæc ipſa ædes aſſidue perſonat, illud a ſuo ſponſo per Cæciliam matrem impetrabunt, vt mittatur tibi auxilium de ſancto, quo lōgam, & placidam ſenectutem patrui tui Pont. Opt. Max. adiuues collaborando, vt ſcilicet grex Chriſtianus in pace, & tranquillitate ſecurus viuat, vt deniq. quemadmodum tu ſacroſancti huius Templi titulum, ac nomen induiſti; ita etiam ipſum, ſacratumq. hoc Virginum cœnobium amplitudinis tuæ titulo patrocinioq. lætetur.

LAVS DEO.

# IVLII ROSCII HORTINI
## CARMINA
AFFIXA IN TEMPLO S. CÆCILIÆ XXV. IAN. CIↃ IↃ XCI.

*Quo die Paulus Sfondratus Gregorij XIIII. Fr. Fil. possessionem eius Tituli accepit.*

Personantibus Organis B. Cæcilia vni Deo in contemplatione decantat.

*Cæcilia æthereo resonabat carmina Regi,*
*Qualia nec Phœbus, Musa nec vlla canit.*
*Nos quoq. virgineos cantus comitemur ouantes,*
*Et Christi laudes concinuisse iuuet.*
*Virginis inuictæ præclara exempla secuti*
*Præmia Virginea digna feremus ope.*

Angelus è cælo delapsus coronas donat Cæciliæ, & Valeriano.

*Florea quæ cælo legerunt serta volantes*
*Spirat vbi æthereum semper odore nemus*
*His sponsæ, sponsiq. pios cinxere capillos*
*Cælesti merito præmia digna fide.*
*Ecquis Olympiacas ausit iactare coronas,*
*Aut Roma his lauros æquiparare tuas?*

In bal-

In balneum iniecta Cæcilia die, ac nocte perseuerans ab igne illæsa euadit.

*Aere sub ingenti succenditur ignis,& ardet,*
*Nec tamen immeritam lædere flamma potest.*
*Aestuet ille licet, cedet nisi iusseris ipsa,*
*Arbitra tu vitæ sola necisq. tuæ.*
*Quantum Virgo potest: furioso vna imperat igni,*
*Seuius & si quid igne nocere potest.*

Ab igne illæsa triumphat B. Cæcilia.

*Exardet Virgo duplici face: barbarus inde*
*Dat tortor flammas, hinc pius vrit Amor.*
*Tormenta hæc inter seui monumenta doloris*
*Virgineo quantum pectore robur erat?*
*Subde Tyranne faces,non igne extinguitur ignis;*
*Quo magis ipse furit, hoc magis ardet Amor.*

FINIS.